prophetaret quod uenturus eſſet in hanc uitam qui contereret laqueum
fraude diaboli praeparatum. Sed non potuit melius conteri laqueus. niſi prae
dam aliquam diabolo demonſtraſſet, ut dum ille feſtinat ad prae
dam ſuis laqueis ligaretur. ut ego poſſim dicere. Laqueos paraue
runt pedibus meis, et ipſi inciderunt in eos. Quae potuit eſſe prae
da, niſi corpus. Oportuit ergo hanc fraudem diabolo fieri. ut ſuſci
peret corpus dominus ieſus, et corpus hoc corruptibile. corpus infirmum
ut crucifigeretur ex infirmitate. Si enim fuiſſet corpus ſpiritale.
non dixiſſet, ſpiritus promptus. caro autem infirma. Audi ergo utramque uocem,
et carnis infirmae, et ſpiritus prompti. Pater ſi poſſibile eſt, ſi tranſeat hic
calix a me. Haec carnis eſt uox. Sed non quod ego uolo. ſed quod tu uis.
Habes quemadmodum deuotionem doceamur ſpiritus et uigorem. Quid re
pudias dignationem domini. Dignationis eſt quod ſuſcepit corpus meum.
dignationis eſt quod ſuſcepit iniurias meas, ſuſcepit infirmitates
meas. quas utique natura dei ſentire non potuit, cum contra natura homi
nis contemnere didicerit uel ſuſtinere ac perpeti. Et ideo ſequamur
chriſtum. iuxta quod ſcriptum eſt, poſt dominum deum tuum ambulabis. et ipſi adhae
rebis. Cui adherebo. niſi chriſto. Sicut paulus dixit. qui adheret domino u
nus ſpiritus eſt. Illius ergo de deſerto ut ad paradyſum redire poſſimus
ueſtigia proſequamur. Et uidete quibus itineribus reducamur. Hunc in
deſerto chriſtus eſt, agit hominem. inſtruit. informat. exercet,
unguit oleo ſpiritali. Ubi uidet robuſtiorem. per ſata et fructuo
ſa tranſducit, quando querebantur iudei quod diſcipuli eius ſabba
to de ſegete ſpicas uellerent. Iam enim apoſtolos ſuos in agro
culto et fructuoſo opere collocauerat, poſtea in paradyſo
conſtituit tempore paſſionis. Sic enim habes. Haec cum dixiſſet
ieſus, cum diſcipulis ſuis tranſiuit trans torrentem cedron. ubi
erat ortus, in quem introiuit ipſe cum diſcipulis ſuis. Agro enim
fecundo ortum eſſe potiorem docet prophetia in canticis canticorum
dicens. Ortus clauſus ſoror mea ſponſa, ortus clauſus. fons